

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiae &
Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinae
Christianæ In Usus Institutionis ...**

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Caput XIII. De Oeconomia Consilii Gratiae Ab Adamo Ad Mosen.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

foedè impendant. Quandoquidem inferius de his prolixius agendum erit, Scripturæ testimonia, quibus dictis fidem faciam, nunc omitto.



CAPUT XIII.

De

OECONOMIA CONSILII GRATIÆ AB ADAMO AD MOSEN.

Σύνοψις.

OEconomia hæc tribus partibus constat. (1.) Doctrinâ de salute. (2.) Signis. (3.) Fide, quam fideles sub hoc tempore testati sunt. §. I.

I. Doctrina consideratur vel in se vel ratione modi revelationis. §. II.

Doctrina in se conside-

rata non absolvitur septem Noachi præceptis. §. III.

Potius ejus fundamentum est Protæ Evangelium Gen. III. 15. §. IV.

Satane privationem omnis veri boni denuntians. §. V. VI.

Sed piis gratiam pollicitans. §. VII.

Postea subjicitur bre-

vis

*vis epitome totius
doctrinæ salutaris
sub hac Oeconomia.*

§. VIII.

*Sub qua edocti erant
Creatorem, specia-
tim hominis integri
creationem. §. IX.*

*Qui postea seductione
satane malus factus
§. X.*

*Restitutus verò solâ
gratiâ Dei. §. XI.*

*Per semen mulieris. §.
XII.*

*Cujus naturam huma-
nam §. XIII.*

*Passiones, gloriam. §.
XIV.*

*Naturam quoque di-
vinam noverant. §.
XV.*

*Unde colligebant, salu-
tem in viribus pro-
priis querendam
haud esse.*

*Noverant quoque, sa-
lutem eorum tan-
tùm esse, qui adver-
sus Satanam inimi-*

citiam gerunt. XVI.

*Noverant tandem, tum
demum plenam sa-
lutem dandam fore,
quando in his terris
certamen feliciter
absolverint. §. XVII.
XVIII.*

*Doctrina hæc vario
modo, immediato,
mediato, vigilantibus,
dormientibus
&c. facta est. §. XIX.*

*Cujus divinitatem tum
illi, quibus revela-
tio obtigit. §. XX.*

*(Quorum nomina re-
censentur.) §. XXI.*

*Tum illi, quibus re-
velatio facta an-
nuntiata, ex certis
figuris & Characte-
ribus nosse poterant.
§. XXII.*

*II. Signa à Deo insti-
tuta, ut gratiam in
Redemtore adum-
brarent, obsigna-
rent. §. XXIII. XXIV.*

*Unde sequitur, signo-
rum*

Q

rum scopum esse Jesum Christum XXV. Prudenter tamen in hoc labore versandum, ne quod typus Jesu Christi revera est, negetur, aut ex opposito fingatur typus, qui talis non est. §. XXVI.

In quem finem dantur Characteres typi dignoscendi. §. XXVII. XXVIII.

Signa solent distingui in Sacramenta & typos, inter quæ duo realis differentia non est. §. XXIX. XXX.

Rectius distinguuntur in personalia, naturalia, & ritus lege præscriptos. XXXI.

Ex signis personalibus nominatur Adamus, ostenditurque ejus cum Christo convenientia. §. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Etiam Melchisedecus, qui cum Salvatore comparatur. XXXV. XXXVI.

Insuper Isaacus, cum quo quoque & Christo comparatio instituitur. §. XXXVII. XXXVIII.

Ex signis naturalibus refertur creatio. §. XXXIX.

Diluvium. §. XL.

Iris. §. XLI.

Ex ritibus mixtis lege præscriptis primum locum habent Sacrificia, quorum convenientia. §. XLII. XLIII.

Et disconvenientia à Sacrificiis Mosaicis ostenditur. Ubi speciatim traditur Sacrisfiorum ortus divinus. XLIV.

Finis, qui Jesus Christus. XLV.

Dein Circumcisio. §. XLVI.

Cujus

Melchisedech
cum Sabao
paratur. XII
VI.
r Isaacus
quoque & Co
comparatio
itur. §. XXX
VIII.
nis natural
tur creatio
IX.
um. §. XL
XLI.
ibus mixti
ra scriptis
a locum hab
ificia, quor
venientia.
XLIII.
convenientia
ficiis Moysi
ditur. Ubi
n traditio
iorum ortu
s. XLIV.
ui Jesus Ch
XLV.
circumcisio
C

Cujus partes notande,
velut ritus circum-
cisionis in se. XLVII.
XLVIII.

Dein subiectum, quod
omnis masculus. §.
XLIX.

Tum Tempus. §. L.

Præterea Origo. LI.

Insuper pæna contem-
tus. LII.

Denique scopus. LIII.
LIV.

Tandem ratio. LV.

Ultimò abrogatio. LVI.

III. Fides, quam pii
sub hac Oeconomia
testati sunt erga
promissiones in do-
ctrina & figuris.
LVII.

Fideles illustriores
sunt Abel, Enochus,
Noachus. LVIII.

Abrahamus, Isaacus,
Jacobus. LIX.

Lothus, Melchisede-
cus, typus Christi,
non ipse Christus,
Jobus, Eliphaz, Bil-
did, Zophar, Elihu.

§. I.

Dicenda de hac gratiæ divinæ dispensa-
tione tribus partibus includemus. I.
Continebit Doctrinam de Salute. II. Signa
ejus. III. Fidem, quam pii sub hoc tempore
promissionibus, in doctrina prolatis, in signis
præadumbratis & confirmatis adhibuerunt,
atque eam vitâ sanctâ testati sunt.

II. Quod ad doctrinam, illam tum in se
considerabimus, tum in modo revelationis.

III. Doctrinam in se quod attinet, Judæi
ex antiqua traditione habent, Deum jam

Q 2

Ada-

Adamo sex præcepta, qualia sunt, de fugienda Idololatria, maledictione Nominis divini, homicidio, revelatione turpitudinis, furto, iudiciis habendis; septimum verò Noacho de non comedenda carne in sanguine suo tulisse. *vid. Maim. tr. de Regib. c. IX. ab init.* Facile largimur Patriarcharum ævo hæc officia cognita observataque fuisse, quamvis cuncta à Deo externè rogata non legamus. Sex priora naturâ patebant, septimum verò à Deo externè revelatum Gen. IX, 4. At hisce doctrina salutis minimè comprehendebatur. Potius ad externam tantum vivendi rationem spectabant.

IV. *Fundamentum doctrinæ salutaris sub hac Oeconomia est Protevangelium* Gen. III, 14. 15. verbis breve, sensu sæcundum, continens in summa omnia, quæ ad vitam consequendum tenenda sunt. Illud procul dubio Patriarcha jugiter in animo, ore habuerunt, volverunt, & divitias gratiæ erga peccatorem, huiusque officia attentè eruerunt.

V. *Continet autem gratiosam voluntatem Dei, tum in condemnatione Satanae, tum liberatione piorum ex potestate ejus.*

VI. *Condemnatio Satanae comprehendit privationem omnis boni, quod à Deo prius acceperat, quodque ipsum beatum reddebat, summam ignominiam, abrogationem potestatis ob peccatum in pios quoque exercitæ, quæ*
verbis

verbis impropriis, ad Serpentem, cujus nomen Satanæ habebat, alludentibus, proponuntur.

VII. *Liberatio verò continet* (1.) *malum à quo liberati*, quod infeliciffimum Satanæ & feminis ejus regnum. (2.) *Bonum, quod conſecuti ſunt*, & eſt amicitia Dei, quam omnibus viribus adverſus hoſtem tuentur. (3.) *Subje-ctum ſcil. Evam & ejus ſemen*, Satanæ adverſans, quod ſanctificans & ſanctificatum, Chriſtus & Fideles, Hebr. II, 11. (4.) *Modum*, quatenus ſemen mulieris divina virtute Satanam ſuperaturum, deleturum, non tamen ſine vulnerere, quod ei ſerpens conterendus infliget, ſcil. intelligitur paſſio, mors feminis mulieris, quâ demum victor Satanæ evadit. (5.) *Auctorem*, qui ipſe gratioſus & potens Deus.

VIII. *Ne verò percurrendo omnes revelationes hoc tempore factas ultra inſtitutum noſtrum prolixiores ſimus, doctrinam hujus Oeconomix ſequentibus includimus.*

IX. *Pii ante Moſen noverant, Deum eſſe, qui omnia ex nihilo creavit, quique ſpeciatiim hominem ad imaginem ſui condidit.*
Gen. I.

X. *Noverant dein, hominem antiqui Serpentis ſeductione propriâ culpâ peccaſſe & mortem ſibi attraxiſſe.* Gen. III.

XI. *Noverant porro, ſolâ Dei gratiâ infelicem hominis cum Diabolo amicitiam tolli.*
Gen. III, 15.

Q 3

XII. Et

XII. *Et tolli quidem abrogatâ omni modo hostis potentiâ per semen mulieris. l. c.*

XIII. *Noverant adeoque, Liberatorem fore hominem, qui ex Eva, saltem mediatè, ortum sumpturus l. c. per Abrahamum, Judam, quorum quoque semen dicitur. Gen. XXII, 18. Gal. III, 16. Gen. XLIX, 10.*

XIV. *Noverant quoque, liberatorem suum in perpetuo cum Satana certamine multa passurum, tandem tamen victoriam reportaturum, Gen. III, 15.*

XV. *Noverant præterea, hunc suum liberatorem nudum hominem non fore, ceu qualis Satanam destruere minimè valeret.*

XVI. *Noverant insuper, omnem salutem illi soli adscribendam esse, nec talem in propriis viribus quærendam esse, Genes. XXII, 18. XLIX, 18.*

Noverant denique, salutem hanc non ad omnes pertinere. Nam Satanas quoque semen, quod eum imitatur, habet, Gen. III, 15. Sed ad illos primùm ex Sethianis, tum Semitis Gen. IX, 26. postea etiam Japhetis c. c. v. 27. Gentiles XLIX, 10. qui gratiâ Dei sanctificati sunt, atque Satanae regnum omnibus viribus destruunt, qui cum Deo, coram Deo, animo integro, in fide ambulant, & malorum consortia fugiunt, Gen. III, 15. v. 22. XV, 6. XVII, 1. IV, 26. quales quoq; de gratia Dei persuasi esse poterant, variis quidem argumentis,

eo ma-

eo maximè, quòd Deus se sub *ἁῖος* partis fœderatæ sistere voluerit, Gen. XV.

XVII. *Tandem noverant, variæ licet ærumne, & molestiæ in his terris propter peccatum perferendæ sint*, Gen. III, 16-f. *post hanc vitam repositam esse piis aliam felicissimam in intima cum Deo conjunctione, in qua* ἐν ἐμφάσει quoad corpus & animam Deus se talem, qualis est, probabit, Job. XIX, 25-27. Gen. XLIX, 18. Matth. XXII, 31. 32. Hebr. XI, 10. *impios verò à Domino judicandos, puniendos esse*, Jud. v. 14. 15.

XVIII. Hæc sunt præcipua, quæ ex Sacris clarè constant revelata Patriarchis. Non tamen negamus, alia adhuc ab iisdem cognita aut hæc ipsa latius deducta esse.

XIX. *Propositâ nunc doctrinâ sequitur, ut de modo revelationis agamus. Et quod modum revelationis concernit, varius ille fuit*, Hebr. I, 1. Aliquando revelatio immediate facta ab ipso Deo Gen. III, sub forma humana, ut amicus cum amico loqui solet, Genes. XVIII. Aliquando intercedente signo aliquo divino, quale probabiliter ἐμπυρισμός, Gen. IV, 4. Hebr. XI, 4. Aliquando Deus allocutus est vigilantes die Genes. XVIII. vel noctu Genes. XXXII, 24. Aliquando dormientes sola voce sed forti, terribili, uti Eliphazum Job. IV, 12-f. Abimelechum Gen. XX, 3-7. Labanem XXXI, 24. Aliquando unâ cum imagine extraordi-

248 Cap. XIII. De Oeconomia Consilii
nariæ impressionis Gen. XXVIII, 12-16. XXXI,
11-13. Aliquando absque voce, imagine tan-
tùm, uti Pharaonem Gen. XLI. Servos ejus,
Gen. XL, 5. &c. Etiam illuminatione internâ
Spiritus S. quâ futura præfari poterant, quo
Isaaci Gen. XXVIII, & Jacobi Gen. XLIX, ex-
empla pertinere videntur.

XX. *Illi, quibus revelatio obtigit, de ejus
divinitate persuasi esse poterant, tum ex mo-
do Majestatis divinæ pleno Gen. XV, 12. tum
ex materia vera, sancta, Diabolo inimica, seq;
ad conscientiam validè adprobante, Gen. III.
tàm ex interna persuasione, quæ omnem du-
bitationem præscindebat atque causa exequen-
di ejus, quod alioquin nullis rationibus persua-
deri posset, Gen. XXII, 1, 2. &c.*

XXI. *Ex iis, quibus revelationes factæ,
præcipui sunt Adam, Abel, Enockus, Noe-
chus, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Iose-
phus, Jobus, etiam, quamvis in minori gra-
du, Abimelech, Pharaon, servi Pharaonis.*

XXII. *Illi verò, quibus revelatio facta pro-
ponebatur, de Divinitate certi erant. (1.) Ob
materiam, quæ ad pietatem tantùm ducebat.
(2.) Proponentium candorem, integritatem,
fincerum affectum, quò auditores, (qui pluri-
mùm liberi erant) prosequerentur, quos fal-
lere adeoque non cogitabant. (3.) Prædictio-
num eventum Gen. XL. XLI.*

XXIII. Alterum, de quo in hoc capite,
spectat

ſpectat ſigna ſalutis. Quippe placuit Deo, gratiam per Redemptorem non ſolùm in verbo proponere, ſed & in ſignis præadumbrare, obſignare. In quo ſingularis ſapientia ac bonitas Dei elucet, quatenus ſuos ad ſalutem quærendum non ſolùm per auditum, ſed & viſum, tactum ducebat.

XXIV. Hoc verò intendiſſe Deum conſtat, & ex natura rituum, qui aliàs Deo & cultu divino dignum nihil continuiſſent, & ex explicatione infallibili in N. Testamento & ex ſpeciali inductione ſacrificiorum, circumciſionis, Melchiſedeci, &c.

XXV. *Unde nunc ſpontè fluit, Interpretem in ſignis & ritibus huius Oeconomiae exponendis ſic verſari debere, ut præmeditatè obſervet eorum finem, Chriſtum,* qui Spiritus doctrinæ, rituum, ſignorum V. & N. Testamenti, nam quoniam in illo ſolo ſalus, ideo prudentiſſima ordinatione divina ad eum ſolum quærendum, appetendum, colendum, omnia omni tempore dicta, facta fuerunt.

XXVI. *Prout verò in defectu peccat, qui, quæ ad futurum præadumbrandum dicta fuere, non ſiſ literaliter accipit & de eo tantùm tempore, quo dicta, intelligit. Sic in exceſſu is, qui promiſcue omnia, quæ merè Hiſtorica ſunt, typica, fatidica habet, & max id, quod luxurianti imaginationi videtur, tanquam intentionem Spiritus S. aliis obtrudere*

Q 5

dere vult. Vitium hoc posterius fictâ aliquâ dulcedine plurimos ut olim ita hodiernum capit, qui tûm sibi maximè sapientes boniqueliterarum Interpretes videntur, quando Allegoriis comminiscendis frœnum laxarunt. Sed vitium non minus ac prius. Abducit à *βεβαιότητι*, solida certa explicatione, quâ nihil prius nobis esse debet. In causa, ob quam studium Scripturæ de existimatione sua multum amittit & quæ alioquin demonstrationem ad conscientiam continent, his admixtis eam perdunt, aut saltem suspectam reddunt. Unde aliquando allegoriæ ex eadem Historia opposita cudentur.

XXVII. *Medii tutissimi imus. Figuras, typos, quos tales esse ex certis Criteriis constat, habemus. Quæ verò iis destituta sunt, ea ad hanc classẽ non referimus.* In illis sufficiens suppetit materia, in qua studium & ingenium nostrum ad gloriam Dei & ædificationem proximi exercemus.

XXVIII. *Ut verò tutius in hoc labore versemur, sciendum est, figuram nondum constitui, si historia quædam in Sacris relata est, aut si cum figurato, quod Allegorista putat, convenientia quædam monstratur, vel etiam si ejus in N. Testamento simplex allegatio occurrit. Hæc ad figuram, typum constitutum non sufficiunt. Verùm requiritur. (a) Institutio divina ad hunc usum. Nequit enim*

enim ex se res terrestres, vilis, rem cœlestem pretiosissimam præfigurare, obfigurare: Constat quoque, cultum ceremonialem, qui totus typicus, ad minimam circumstantiam usque, à Legislatore præceptum esse Exod. XXV, 4. Hebr. VIII, 5. (b) *Et institutio hæc certo iudicio nobis perspecta esse debet.* Indicium autem hoc (1.) Si historia vel ritus quidam V. Testamenti in specie ut typus in Novo allegatur. (2.) Aut si generali vocabulo clarè comprehenditur, veluti Hebr. X, 1. *Lex habet suam umbram futurorum bonorum*, hinc rectè infero: Labrum æneum & ejus usus ad bona futura respiciebat. (3.) Vel etiam si ritus aliquis in se nullam veri cultus rationem habens, prolixè descriptus & curatè observandus traditus est, quemadmodum Sacerdotum vestitus, Exod. XXVIII.

XXIX. Generalibus his præmissis *specialia dicemus de signis, quæ in Sacramenta & Typos distinguere solent sub hac Oeconomia. Inter hæc magnum discrimen haud ponendum videtur.* Nam conveniunt nomine: Ritus, quos Sacramenta vocant, *σημεία* signa dicuntur Gen. XVII, 11. Typi quoque Matth. XII, 39, Commune nomen est *συνή, ὑπόδειγμα* Hebr. VIII, 5. X, 1. Conveniunt dein præadumbratione, nam & Sacramenta ita dicta & Typi ad Christum & ejus beneficia respiciunt. Conveniunt insuper partibus, ex quibus constant, signo scil. exter-

externo, & re signata latente. Conveniunt tandem institutione divina. Posterior ætas typos, qui illustriores, universaliores, quique lege aliqua præscribebantur, Sacramenta nomine peregrino à militia defuncto dixit.

XXX. Mittimus, quæ de voce, numero, definitione Sacramentorum controversa haberi solent. Rem ipsam, prout eam in Sacris reperimus, exponere constituimus. Generaliore notione per Sacramenta, Typos intelligimus *Signa à Deo instituta ad futurum quid, spectatim gratiam in semine mulieris præadumbrandum, obfignandum.*

XXXI. Signa hæc non sunt ejusdem generis. Vel sunt *personalia*, vel *naturalia*, vel *ritus lege præscripti*.

XXXII. *Signa personalia dicuntur, quando ex ordinatione divina certæ personæ semen mulieris referre debebant.*

XXXIII. *Primum ex personalibus est Adamus*, quem Paulus Rom. V. 1. Cor. XV, 22. 45. 1. Tim. II, 13. Christi typum esse indicat. Convenientia hæc est

XXXIV.

ADAMUS JESU CHRISTI TYPUS.

Primus homo vocatur אָדָם <i>ādām</i>, 1. Tim. II, 13. <i>Primus Adam.</i>	Semen mulieris vocatur quoque Adam, 1. Cor. XV, 45. <i>Ultimus</i> אָדָם.
--	---

Hic

Hic *Filius Dei*, Luc. III, 38. sapiens & sanctus creatus est, Gen. I, 26.

Ex illo omnes mundi habitatores vitam habere debebant, Act. XVII, 26.

Ipsa quoque Conjux ei alto sopore oppresso condebatur.

Adamus denique *typus futuri*, Rom. V, 14. ut illo sapiente, sancto, felice, posteritales quoque, sed illo peccante & infelice, peccatores & infelices quoque censeantur ii, qui ex eo prognati. Rom. V, 12-20.

Tandem ut in Adamo omnes mortui sunt, 1. Cor. XV, 22.

Hic *et impharet Filius Dei*, Hebr. I, 4. 5. in quo omnes thesauri sapientiæ & sanctitatis absconditi sunt, Coloss. II, 3. Luc. I, 35.

Hic quoque toti fidelium *mundo ζωὴν vitam* dat Joh. VI, 33.

Atque tum Conjugem sibi acquisivit, quando mortis somno oppressus, Ephes. V, 25-28.

Etiam Christus persona publica refert semen suum, cui sapientia, justitia, sanctificatio, quam is promeritus est, imputatur, 1. Cor. I, 30.

Sic in Christo omnes vivificantur, 1. Cor. XV, 22.

XXXV. *Secundum est Melchisedecus, quem Paulus Hebr. VII. pluribus ut Christi typum proponit.*

XXXVI.

MELCHISEDECUS PRÆ ADUMBRAVIT
JESUM CHRISTUM.

I. *Ratione ortûs.*
Melchisedecus homo
merus licet exstiterit,
factum tamen singulari
Providentiâ Dei, ut Pa-
rentes non exprime-
rentur à Mose, qui re-
liquorum piorum or-
tum studio aliàs docuit,
quod qui naturâ esse non
poterat ἀπάτωρ, ἀμήτωρ,
ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν
ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων,
esset ex silentio Scri-
pturæ posteritati. Hebr.
VII, 3.

II. *Ratione nomi-
nis.* Appellabatur מלכי
צדק ex interpretatione
Rex justitiæ, Hebr.
VII, 2. qui regnum
in justitia administrat.
Dein appellabatur Rex
σαλῆμ שׁלום sive *Rex*

I. *Ratione ortûs.*
Jesum Christus secun-
dum naturam huma-
nam ἀπάτωρ, secundum
divinam ἀμήτωρ & cujus
genus, prosapia recen-
seri nequit. Est quoque
principium & finis Al-
pha & Omega. Apoc.
I, 11. XXII, 13.

II. *Ratione nomi-
nis.* Christus passim
Rex audit, & quidem
צדק justus. Zach. IX,
9. in omni δυνάμει & πα-
cificus sive *Princeps*
pacis. Jes. IX, 5. cum
Deo, conscientia, pro-
pacis,

pacis, quâ is fruebatur, ximo quoque.
quando infideles Reges
Canaan bello impliciti
erant.

III. *Ratione muneris.* Duplex est, regium & sacerdotale. Il-
lud tenebat in Salem,
plurimorum, Josephi
speciatim, calculo, Hie-
rosolymam. Hoc re-
portavit à Deo, quod
vult עליון כהן לאל *Sacerdos Dei altissimi*,
Gen. XIV, 18. absque
antecessore & successore.
Ut Sacerdos duo
agebat, pro populo vi-
ctimas Deo offerebat,
tum quoque benedice-
bat, sicuti benedixit A-
brahamo, Gen. XIV,
18.

III. *Ratione muneris.* Christus Rex in-
unctus *super Sion*,
montem Sanctitatis.
Ps. II, 6. Christus quo-
que Sacerdos secun-
dum ordinem Melchi-
sedeci Ps. CX, 4. à Pa-
tre interpositô jura-
mentô constitutus l. c.
cujus Sacerdotium æ-
ternum Hebr. VII, 3.
16. consistens in obla-
tione victimæ, quæ cor-
pus ejus Hebr. VII, 27.
& intercessione pro o-
mnibus fidelibus, ex
qua omnigena benedi-
ctio in hos Hebr. VII,
25. Rom. VIII, 34. fluit.

XXXVII. *Tertium personale signum Isaa-*
cus est, qui quidem disertè typus Salvatoris
nullibi dicitur, neque enim huc referendus vi-
detur locus Hebr. XI, 19. quoniam tamen *עולה*
holocausti ex praecepto divino sumit Gen.
XXII,

256 Cap. XIII. De Oeconomia Consilii
XXII, 2. & omnia Sacrificia ad Christum re-
spexerunt, rectè omninò signis præfiguranti-
bus accensetur.

XXXVIII.

ISAACUS TYPUS CHRISTI.

I. *Ratione Nati-
vitat.* Isaacus diu ante
à Deo Patri fidelium
promittebatur, quæ
mora desiderium Pa-
rentum valdè exercuit.
Tandem verò ex utero
ad generandum inido-
neo natus lucem vidit.
Erat Patris sui filius
יחיד *unigenitus*, dile-
ctus Gen. XXII, 2.

II. *Ratione vite.*
Vita, quam Isaacus du-
xit, Parenti obediens
grataque sed irrisioni
Ismaëlis expofita.

III. *Ratione Obla-
tionis.* (a) Pater amo-
rem erga Deum testa-
turus filium charissi-

I. *Ratione Nati-
vitat.* Christus quoque
multò ante fidelibus
promissus est, qui nati-
vitatem ejus percupi-
verunt. Tandem sta-
tuto apud Deum tem-
pore ex utero Virginis
fœtûs naturâ non capa-
ci in lucem edebatur.
Existebatque Filius di-
lectus, in quo Pater ac-
quievit, Matth. III, 17.

II. *Ratione vite.*
Etiam Christus in vita
sua Patri omnem obe-
dientiam exhibuit, Phil.
II, 8. & à fratribus suis
secundum carnem illu-
sus est.

III. *Ratione Obla-
tionis.* (a) Cœlestis Pa-
ter ingentem suum a-
morem erga mundum

mon-

mun immolare constituit.

monstraturus Filium unigenitum in mortem tradere statuit, Joh. III, 16.

(b) Isaacus Patris durissimæ licet voluntati non obstrepit seq; in holocaustum sistit, Gen. XXII.

(b) Christus pariter poculum excandescentiæ, quamvis animus horrore percussus, ebibere promittit, Matth. XXVI, 39. & obediens fit usque ad mortem crucis, Phil. II, 8.

(c) Imò ipse lignum, quo comburendus, in unum ex montibus terræ Moriah portat, atq; manibus pedibusque ligatus imponitur aræ. Gen. XXII, 9.

(c) Etiam lignum crucis, à quo suspendendus & igne iræ diviniæ ob peccata accenso urendus, in quemdam terræ Moriah montem, postea Golgotha dictum, gestat, manibus pedibusque ope clavorum cruci affigitur.

IV. *Ratione Liberationis.* Tridui spatio Isaacus in mente Patris ut mortuus habebatur, Gen. XXII, 4. illò verò finitò ipsi quasi de novo redditus censebatur.

IV. *Ratione Liberationis.* Triduo in statu mortis existit Christus. At illò absolutò ad vitam resurrebat.

R XXXIX.

XXXIX. *Sequuntur Signa naturalia, quæ ex institutione divina spirituale quid signant. Huc refertur creatio totius mundi, hominis speciatim*: unde S. Literæ modum operandi in spiritu hominis phrasibus, quæ ex creatione desumptæ sunt, quæque regenerationem cum creatione conferunt, exprimere solent. Clarissimè huc pertinet Aqua Diluvii & Iris. Gen. IX, 8-18.

XL. *Et Aquam Diluvii quidem typicam fuisse tradit Petrus*, 1. Epist. III, 21.

Terra sceleribus erat polluta, unde immittebantur aquæ.

Aquæ vim habent suffocandi, maculas eluendi.

Aquæ Diluvii suffocabant illos, qui verbo Dei inobedientes existerunt.

Eluebant verò eorum peccata, qui præconio resipiscentiæ fidem habebant & confidebant Deo, quòd in

Super mundum impurum effundit Deus aquam, quâ in genere omnia externa media sanctificationis speciatim Baptismus sistitur.

Prout Aqua hachomines utuntur, exerit vel vim mortis vel vitæ.

Vim mortis in illis, qui se Deo sanctificandos non tradunt, sed pollutionibus mundi delectantur.

Sed vim vitæ, qui se puros ab inquinamentis carnis & spiritus servare student atque Deo fidem habent.

mediis

mediis undis ipsos sal-
vos conservare queat.

Qui quoque post
quam ex aquis egressi
erant, sacrificium lau-
dis Deo gratissimum
obtulerant.

Qui quoque jube
laudis sacrificium in
Christo cœlesti Patri fa-
crum faciunt.

XLI. Iris verò expressè *לִזְכּוֹר* *signum*
ברית עולם ad *commemorandum fœdus seculi*
Gen. IX, 18. 17. dicitur. Quatenus *φαιρόμενος*
in natura est, diu ante diluvium exstitit. *Nunc*
verò post diluvium Dei institutione (quomo-
do quoque pleraque alia signa ante accommo-
dationem ad usum sacrum prius exstite-
rant.) Longanimitatis & gratiæ divini signum
esse cœpit. Et quidem universale omnibus crea-
turis, quæ in posterum tali diluvio nunquam
perdendæ: particulare verò fidelibus, quorum
maximè gratiâ mundus conservatur. Unde
Christus Iride circumdatus sistitur. Apoc. IV,
3. X, 1.

XLII. Tandem dicendum de ritibus, quos
Deus fidelibus hujus Oeconomiae observandos
dedit, ut per eos ad Christum querendum
ducerentur. Ad hanc classẽ pertinent sacri-
ficia & Circumcisio.

XLIII. Quæ tum offerebantur Sacrificia,
in plurimis circumstantiis differunt ab iis,
quæ lege Moysi introducta. Tum enim per-

sonæ, locus, tempus, materia, ritus, aliaque liberiora: quæ postea severis legibus circumscribebantur.

XLIV. *Conveniunt tamen in Auctore & fine. Auctor sive qui sacrificia præcepit, Deus est.* De Sacrificiis Mosâicis vix quæstio. Quæstio de Patriarchalibus, quæ affirmanda est: mentibus quoq; hominum ante Legem viventium à Deo ea suggesta, præceptaque existimamus, unde ritè offerentes certi esse poterant, se oblationibus suis Deo gratum odorem excitare, atque ob virtutem calcanei seminis mulieris à Satana conterendi veniam peccatorum consequi. Probat autem (1.) *Testimoniis*, quæ Deum Sacrificia præcepisse docent, veluti sunt Gen. XV, 9. XXII, 2. XXXV, 1. Job. XLII, 7. 8. (2.) *Exemplis*, ex quorum attentâ pensitatione hic ipse divinus jussus elucet; sunt autem Abelis, qui *πίστη* fide obtulisse dicitur, Hebr. XI, 4. Fides autem præsupponit revelationem divinam, cui credit. Dein Melchisedeci, qui כהן אל עליון *Sacerdos Dei altissimi*, hoc est, à Deo constitutus, unde exemplo Melchisedeci vocatio Christi ad Sacerdotium facta dicitur Hebr. VII, 15. Denique Jobi, qui c. l. 5. pro peccatis liberorum Sacra fecit. Certè peccata sanguine bestiarum expiari ex natura minimè nosse poterat. (3.) *Rationibus*. Ratio non dictat, in carne vel sanguine victimarum quidquam esse, quod Deo Spiritui gratum esse possit, atque

atque iram sceleribus provocatam in favorem convertat. Unde ipsi quoque Gentiles stultos illos dixere, qui *existimant, Deos seu bilis ustæ sive crudorum ossium projectû, quæ vix tangat esuriens canis, gaudere donis, idque honori ducere, facientibusque gratiam reponere.* Apud Porphy. *ἀπὸ χῆς* l. II. §. 58.

XLV. *Finis Sacrificiorum, quæ sub lege offerebantur, Christus*, quod maximè Paulus in Epistola ad Hebræos docet. Neque aliàs sub Novo Testamento cultus victimarum tantæ abominationi Es. LXVI, 3. Jam idem finis Patriarchalium vel non. Posterius dici nequit, nec indicio aliquo patet. Et quod Paulus de Christo sub Sacrificiis adumbrato habet, generale est, nec restringendum ad quædam sacrificia tantum. Imò quoniam Mosaica quoad substantiam eadem sunt cum Patriarcharum & nonnisi horum continuatio, clarè sequitur, sacra ævo Patriarcharum Christum quoque respexisse. Atque inde Sacrificiorum institutio divina rursum constat. Nam uti mors Christi ex sola revelatione, sic quoque præfiguratio ejus absque ea fieri nequit.

XLVI. *Sequitur Circumcisio.* Cuius Historiam, scopum, & quæ hinc profluit, abrogationem trademus.

XLVII. *Ad Historiam Circumcisionis referimus ritum in se, ritus subjectum, Tempus, Originem, Necessitatem.*

XLVIII. א. *Ritus dicitur Amputatio*, בשר ערלה *carnis præputii*, Gen. XVII, 11. Græcis περιτομή, Rabb. מילה *quâ*, *mediante acuto cultro*, *extrema pudendi virilis cutis abscinditur*, quod ex praxi Judæorum continua constat. Quamvis hi præter מילה ad circumcissionem insuper necessariam agnoscant פריעה dilacerationem cuticulæ inferioris, ut glans planè nudetur. Unde constat, ritum esse & dolorosum & pudendum, maximè in provectionibus.

XLIX. ב. *Adhunc ritum tenebatur* כל זכר *omnis masculus* Gen. XVII, 12. nulla fœmina. Nec refert, an masculus ille semen Abrahami an verò pecuniâ emtus vel ex servo Abrahamico prognatus Gen. XVII, 12. c. c. quomocunque is familiæ Abrahami infertus circumcidendus erat, unde posteriori tempore proselyti ex quacunque gente circumcidendi aut in jam circumcisis *sanguis fœderis*, ut *Maim. Tr. de Circumcis.* c. 1. eliciendus erat.

L. ג. *Tempus verò est dies octavus*, Genes. XVII, 12. puta à nativitate. Consuluisse videtur Deus infantibus, qui statim post partum admodum infirmi, atque doloribus ferendis vix pares sunt. Observant Judæi, tempus illud, si fieri potest, præcisè tenendum, nec ob incidens Sabbathum mutandum esse, rectè tamen mutari ob periculosum morbum iidem notant.

LI. ד. *Hujus ritus Origo divina est*. Antea inter

inter homines receptum fuisse ex nullo fido testimonio constat. Nec Abrahamus signum hoc abs Deo petiit, sed ipse Deus & quidem sub gravi pœna mandavit ut omnis masculus circumcideretur. Postea verò factum, ut ritus ad alias gentes quoq; transiverit; scilicet omnes Domestici Abrahami, Isaaci circumcidendi erant. Ex his verò præter stirpem promissionis etiam Ismaëlita, posteri ex Ketura, Idumæi erant, qui, quamvis sensim à vera Religione recesserint, circumcisionem nihilominus retinuerunt. Sed præterea Ægyptii, Æthiopes, Colchi circumcisi leguntur, *Herodot. l. II.* Hi credibiliter studio imitationis tantæ Gentis inducti sunt.

LII. ¶ *Ad ritum hunc ii, qui ad Familiam Abrahami pertinebant, severâ lege obligabantur, nam incircumcisi anima è populo exscindenda, Gen. XVII, 14.* Gravissimam addidit pœnam, ne ritus dolorificus, & qui non sine pudore in corpore peragitur, prætereatur. Variè verò pœna hæc exponenda prout circumstantiæ variant. Vel is, qui in eam incurrit, excluditur à privilegiis populi fœderati. Vel etiam morte temporali à Deo inmissa punitur. Vel ipsam æternam mortem quoque subit. *Illo modò*, quamdiu infans incircumciscus genuinum membrum cœtus Judaici haud est. *Istò*; si adultus incircumciscus manet, aut Pater scandalum aliis præbens, filioli minorennis circum-

264 Cap. XIII. De Oeconomia Consilii
cisionem omittit Exod. IV, 24. *Hoc* : si omisso
cum contemptu signi conjuncta.

LIII. *Dicendum nunc est de scopo circum-*
cisionis. De hoc ipse Deus, quando eam vo-
cat ברית *fœdus*, Gen. XVII. 10. vel magis pro-
priâ phrasi אֶת בְּרִית ה' *Signum fœderis*. v. 11.
Signum erat ratione Dei & ratione hominum.
Ratione Dei. Quòd cum Abrahamo & ejus
semine fœdus iniverit, bona pollicitus fuerit,
id in peculium signo suo notatum receperit.
Ratione hominum. Quòd sint gens Dei, illum
unicè revereri debeant, atque ita jus habeant
promissionum divinarum, unde etiam *sigillum*
audit Rom. IV, 11.

LIV. *Ex ritùs hujus curatiori pensitatione*
magnam Dei sapientiam cognoscemus. Nam
(1.) ita populum suum mansuro signo à quovis
alio distinxit. (2.) Effecitq; , ne cum incircum-
ciso commisceretur, atque hujus impietate
ad peregrinum cultum abduceretur, quod
pro ratione ejus temporis necessarium. (3.)
Deindocuit, hominem naturâ animo incircum-
cisum prognasci, Deum non diligere, spiritu
Deo non servire, atque ita esse extra fœdus Dei,
nec aliter populo Dei accenseri, quàm si depo-
nat corpus peccati, carnem crucifigat, diligit
Deum. Perpende loca Deut. X, 16. XXX, 16.
Coloff. II, 11. Phil. III, 3. Unde ex adverso
præputium malè au sit.

LV. *Elegit verò Deus tale signum ob duas*
ma-

maximè rationes. I. In fœdere hoc promissit multiplicationem seminis, elegit itaque generationis membrum atque illi notam impressit.

II. Alteram verbis Philonis exprimam: Indicatur ἡδονῶν ἐκτομὴ excisio voluptatum, ἀκαταγορεύεσθαι διανοίας. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ νικητήρια φέρεται τῶν ἐν ἡδοναῖς φίλτρων ἢ ἀνδρὲς πρὸς γυναῖκα συνκοῖτα, τὸ ὑπηρετῆσαι ταῖς τοιαύταις ὁμιλίαις ὄργανον ἀκρωτηριάζειν ἐδίδξε τοῖς νομοθέταις, ἀνιτιθέμεναις ἐκτομὴν περιττῆς καὶ πλεοναζέουσας ἡδονῆς, ἢ μιᾶς, ἀλλὰ δὲ μιᾶς τῆ βασιλευσάτης καὶ τῶν ἄλλων ἐπάσῶν, quæ mentem fascinant, quoniam enim inter omnes voluptatum illecebras principatum tenet viri congressus cum muliere, instrumentum ejus Legislatores mutilari jusserunt, innuendo, resecandas voluptates superfluas, non unius tantum hujus generis sed omnes per unam indicantes. in libro de Circumcisione p. 811. Ed. Francof.

LVI. Ultimum, quod de Circumcisione, spectat ejus abrogationem sub N. T. Quæ clarissimè in Scriptis Apostolorum fundata. 1. Concilium Hierosolymitanum clarè decrevit, Christianum ad Circumcisionem ut & reliquas leges ceremoniales non obligandum esse. Utpote onus importabile & quod ad salutem nihil quidquam facit, Act. XV, 10. 11. 28. 29. 2. Paulus speciatim Gal. V, 1-7. VI, 15. Coloss. II, 11. Phil. III, 3. qui hoc ipsum variis argumentis probat, inter quæ præcipua (a) quòd Christi morte à Ceremoniis atque sic Circumcisione

R 5

liberi

liberi simus. (b) Quòd studiosus Circumcisionis nullum ex Christo fructum sibi promittere queat. (c) Quòd cum Circumcisione conjunctissima sit totius legis observatio. (d) Quòd sub N. Test. *nova creatura* Deo tantum grata sit. (e) Unde per contemptum *καταβολήν* appellavit. 3. Scopus Dei in circumcisione hic erat, semen Abrahæ ab alio quovis distinguere. Quando verò in diebus N. Testamenti populum suum ex omni gente, lingua collegit, cessat hæc nota. Nec obstat, quòd circumcisio dicatur fœdus *עולם*: Neque enim vox *עולם* *eternitatem* ex natura sua aut constanti usu notat.

LVII. *Tandem sequitur* tertia capitis hujus pars, sive *Fides, quam pii sub hoc tempore promissionibus in doctrina prolatis & signis præadumbratis adhibuerunt, eamque vitam integrâ testati sunt.* Non putandum est, alios fideles non extitisse, quàm quorum nomina Moses reliquit. Vel cognitionem & cultum veri Numinis in sola Abrahami, per Isaacum, Jacobum posteritate extitisse. Certos nominavit Historiographus, quia præ aliis excelluerunt, aut quoniam ex aliis causis ejus mentio injicienda.

LVIII. Memorabimus non omnes, de quibus bene sperare charitas jubet, sed illos tantum, quorum fides vitæque clarè laudatur à Mose & Paulo Hebr. XI. *Primus est Abel, qui fide erga promissionem Gen. III, 15. Sacra fecit*

Grat
Hebr. XI
ut vide
Loach, qui
Do Gen. V.
nam Deus p
nam Caini in
Deo placuit,
notus, quò
Hebr. XI,
hinc heres
II, 11. Integ
Gen. VI, 9. (c
mundus,) atq
prædicans n
inter manum
LIX. Post
multa Abrah
Abrahamas educ
nam cultor.
Caldæorum
quam nunqu
pactum in fide
identitæ deduc
vita leges na
ded. Nec cre
demonstravit
fiosque ad cu
Patris vest
terre constan
periculis exp

fecit Hebr. XI, quique divino testimonio, ἰμ-
 πτος μὴ ut videtur, *justus* declaratus est. Tum
Enoch, qui התהלך constanter *ambulavit cum*
Deo Gen. V, 24. eam vivendi rationem tenuit
 quam Deus præscripsit, quum tum Cainitæ
viam Caini ingressi fuerint. Unde tantopere
 Deo placuit, ut μετατέθῃ τὸ μὴ ἰδεῖν θάνατον *trans-*
positus, quò minùs mortem videret, Gen. V,
 24. Hebr. XI, 5. *Insuper Noachus*, ipse *justus*
 & hinc *hæres justitiæ secundum fidem*, Hebr.
 XI, 11. *Integer*, qui toto corde Deo adhæsit,
 Gen. VI, 9. (corruptus licèt fuerit suo tempore
 mundus,) atq; etiam *præco justitiæ* 2. Petr. II,
 5. prædicans resipiscientiam & piam vitam, si
 aliter manum vindicem effugere velint impii.

LIX. *Post diluvium excelluerunt ex Fa-*
milias Abrahami & ipse *Abrahamus* inter Ido-
 lolas educatus & credibiliter prius Idolo-
 rum cultor. Hic ad jussu Dei relicto Ur
 Chaldæorum per Charran, terram Canaan,
 quam nunquam vidit, ingressus est, atque sim-
 pliciter in fide se suosque benignæ Numinis Pro-
 videntia dedit. Promissionibus divinis, quæ
 juxta leges naturæ impleri haud poterant, cre-
 didit. Nec credidit solum, sed fidem per opera
 demonstravit, *integer coram Deo ambulavit*,
 suosque ad cultum divinum sedulo manuduxit.
 2. Patris vestigia secutus *Isaacus* Deo cœli &
 terræ constanter serviit. 3. Etiam *Jacobus* variis
 periculis expositus Majorum Deo fidè adhæsit
 atque

atque ab eo *salutem* expectavit, Gen. XLVIII, 16. XLIX, 18. Tres hi viri præ aliis dignati sunt, quod Deus voluerit eorum Deus haud semel dici. *Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi.* Quæ dictio carentiam omnis veri mali, fruitionem veri boni quoad corpus, animam in hac, in altera maximè vita infert.

LX, Præter hos notandi sunt *u. Lothus* iustus, qui multum passus inter flagitiosos Sodomitæ habitans Genes. XIX, 2. Petr. II, 7. 8. *β. Melchisedecus* Sacerdos & Rex Hierosolymitanus, Christi, quod supra dictum, typus, non ipse Christus. Obstat enim (a) simplex narratio Gen. XIV. diversissima ab illis, quæ manifestationem Christi tradunt (b) Dein Ps. CX, 4. (c) Insuper Hebr. VII, 3. Nequit enim Aaron Sacerdos dici secundum ordinem Aaronis aut Aaron Aaroni assimilatus. (d) Tale nomen Hierosolymitani Reges gestarunt, quod patet ex Jos. X, 1. 2. *Jobus* credibiliter ex Nachoris posteritate Arabs insigne patientiæ exemplum præbuit atque fidem in *Goelem* præclarè testatus est, c. XIX, 25. 26. *δ. Amici* Eliphaz, Bildad, Zophar, Elihu maximè, magnâ Dei & rerum divinarum notitiâ instructi fuerunt. Errarunt quidem, sed in persona Jobi, non tam in doctrina in se spectata. Hi sufficiant.

CAPUT